



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 27. Sanctus Borromæus Roma profectus, ac Mediolanum reversus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. ducerent: itaque summus Pontifex, ut  
A.C. 1575. tam pium opus executioni daret, sancto  
 huic Cardinali Mediolanensis Provinciae  
 Episcopatus Iurandi curam, tanquam  
 Sæuis Apostolicæ Delegato committe-  
 bat: priusquam vero sanctus Carolus  
 hoc munus acceptaret, suæ Diæcesis  
 Visitatorem nominari, a Pontifice ex-  
 orabat, qui etiam sancti Præfulis pre-  
 cibus annuens Hieronymum Ragazzo-  
 nium in Cypri regno Famagustanum  
 Episcopum, virum virtutum, ac inge-  
 nii præstantia percelebrem, & postea  
 Bergomanensem Episcopum designabat.

## §. XXVII.

*Sanctus Borromæus Roma profectus,  
 ac Mediolanum reversus.*

*Giuff. l. c.  
 cap. 7.*

Demum sanctus hic Archipræful Anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo quinto Mense Februario Roma profectus est; prius tamen a Papa id omne impetrabat, quod ad Ecclesiasticam disciplinam in sua Diæcesi firmandam necessarium esse duxerat: insuper ab eodem Papa obtinuerat, ut Annus sacer tam in urbe, quam Mediolanensi Diæcesi celebrari posset, quam in rem Cardinalis impetravit facultatem, vi cuius pro celebranda hac solemnitate proximum annum salutis nostræ millesimum quingentesimum septuage-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1575.

ptuagesimum sextum designare, septemque Ecclesias pro suo arbitrio nominare posset, in quibus æque, ac in septem Romanæ Urbis Ecclesiis anni sacri gratiæ acquiri valerent: cum vero Borromæus Camillæ Sorori suæ Cæsaris Gonzagæ uxori promississet, quod illam Romam redux visum ire vellet, hinc iter suum Guastallam versus dirigebat, ubi Cæsari Sororio suo, quem in suo adventu jam periculose decumbentem invenerat, morienti adstitit, pariterque ibidem Ecclesiam in loco admodum vicino recens ædificatam sacro ritu Deo dicavit: postea vero cuncta, quæ ipsius charitas inspirabat, obsequii munia Sorori suæ præstabat, afflictamque non modo solatio, sed etiam pro familiæ educatione piis, salutaribusque monitis locupletatam relinquebat, & dein Mediolanum contendebat, ubi a populo suo non sine maximis lætitiæ testificationibus excipiebatur, ab universa civitate officiosa salutatione honoratus. Postea pro more suo Diæcesis regendæ sollicitudini intentus suæ Provinciæ Episcopatus lustrare parabat: priusquam vero sacro huic muneri vacare inciperet, suum Visitatorem Apostolicum excipiens eundem de omnibus in hac visitatione occurrentibus plene edocebat, eique cuncta ad reportandum

*Hist. Eccles. Tom. XLIX.* S dum



Sæcul. XVI.  
A.C. 1575.

dum optatum successum necessaria sugerebat monita. Denique suam visitationem inchoaturus proficiscebatur nonnisi sex stipatus Ecclesiasticis, qui eidem in sacro hoc exercitio opem præstarent.

§. XXVIII.

*Congregatio Oratorii Romæ per Pontificis diploma stabilita.*

*Bullar. t. 2.*  
*Greg. XIII.*  
*Constit. 101.*  
*Ciaccon. addit. Oldoin. t. 4. p. 26.*  
*Natal. l. 23. 26. 27.*

Cum interea sancti Philippi Nerii Congregatio indies augetur, ac Sacerdotibus ad obeunda Ecclesiæ munia, Verbumque Dei prædicandum, ac fidelium confessiones excipiendas idoneis abundaret, Philippus ad impensas plurimum preces quamdam Regulam, ac Constitutiones, quas hi eo etiam absente juxta ipsiusmet exemplum sequi possent, conscripsit: quoniam vero Oratorium in Ecclesia sancti Hieronymi de charitate erectum ad habenda sacra colloquia, sanctasque suorum Sodalium exercitationes haud sat amplum esset, hinc eo relicto Oratorium suum anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quarto ad Florentinorum Ecclesiam sancti Joannis transtulit, ubi etiam domum huic templo contiguam pro sua communitate nactus redditibus ad suorum sodalium sustentationem necessariis locupletabat: attamen anno  
Christi